



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

Parisiis, 1644

Epistola CLXXXIII. Ioannis Papae VIII. Ad Theodosivm Electvm Episcopvm Nonensem. Laudat eius erga Romanam ecclesiam obseruantiam, & praeclaras eius virtutes. testatur suam in eum benevolentiam. monet ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15967

& pace libenter audio, sicut econtra aliud quam tenemus tenentes non libenter admitto. Iam vero, quia multoties ad Synodum conuocati, venire hactenus contempsistis, sicut prætulimus, omni temeritate atque ineuitabili occasione deposita, ad aliam Synodum, quam, gratia diuina opitulante, quarto Idus Octobris futuræ tertiædecimæ indictionis, celebraturi sumus, occurrere. Quatenus ea, quæ ad vtilitatem sanctæ Dei ecclesiæ pertinent, communi tractatu, communi voto atque consensu, cum Domini adiutorio exequamur. Quod si forte & tunc venire contempseritis, sciatis vos, & de præteritis, & de futuris negligentiis canonicè iudicandos: ita vt ecclesiarum vestrarum communionem iuxta sacros Canones sitis contenti, qui non vultis ecclesiasticis acquiescere disciplinis. Data XIII. Kalendas Iunii, indictione XII.

Concilium
Africanum,
43. Cartha-
ginense V.
c. 10.

EPISTOLA CLXXXIII.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD THEODOSIVM ELECTVM EPISCOPVM
NONENSEM.

Laudat eius erga Romanam ecclesiam obseruantiam, & præclaras eius virtutes. testatur suam in eum beneuolentiam. monet vt a se consecrationem episcopalem accipiat.

Theodosio venerabili diacono, & electo sanctæ ecclesiæ Nonensis.

DILECTIONIS tuæ literis receptis atque perlectis, deuotionis & fidei tuæ sinceritatem, quam circa ecclesiam beati Petri apostoli, & circa nostrum pontificium habes, luce clarius agnouimus. Et quia nostram gratiam & benedictionem humili prorsus affectu experere studuisti, valde sumus gauisi. nam & Ioannes venerabilis presbyter de vestra parte veniens, multa nobis tuæ bonitatis, & patientiæ viua voce præconia retulit, quæ in sacerdote Christi magnopere sunt habenda. Vnde te quasi dilectum corporis Christi membrum & spiritalem filium nostri apostolatus vniuersis ampleximur, paternoque amore diligimus, atque apostolica semper volumus benignitate fouere. Ideo monemus sagacitatem tuam, ne in quamlibet partem

Concil. Tom. 24.

Bb ij

Matth. 25.

aliam declines, & contra sacra venerabilium patrum instituta episcopatus gratiam recipere quæras, audiens illam desiderabilem summi iudicis vocem dicentis: *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam; intra in gaudium domini tui.* Sed toto corde, totaque voluntate ad gremium sedis apostolicæ, vnde antecessores tui diuinæ legis dogmata melliflua, cum sacra institutionis forma, summi que sacerdotii honorem sumpserunt, redeas: quatenus & ipse ab apostolica sede, quæ caput & magistra est omnium ecclesiarum Dei, episcopalem consecrationem per nostræ manus impositionem, Christo annuente, percipias: quatenus secundum pristinum morem sancti Petri & nostra semper auctoritate atque tuitione munitus, populum Domini tibi commissum strenue ac securiter regas, & in conspectu Altissimi veniens venias cum exultatione, portans manipulos tuos, dicereque Domino possis ouanter: Ecce ego, & pueri, quos mihi dedisti; & ob hoc cum Deo valeas sine fine gaudere. Data IV. die mensis Iunii, indictione XII.

EPISTOLA CLXXXIV.

IOANNIS PAPÆ VIII.

AD BRANIMIRVM.

Suscipit eum ad Romanæ ecclesiæ gremium redeuntem. monet vt in Dei amore perseueret. impartitur benedictionem apostolicam, quam petierat. hortatur, vt permittat legatum suum epistolam ad regem Bulgarorum deferre.

Dilecto filio Branimir.

RELEGENTES nobilitatis tuæ literas, quas per Ioannem venerabilem presbyterum communem fidelem nobis mandasti, quantam fidem & sinceram deuotionem circa ecclesiam sanctorum apostolorum Petri, ac Pauli, ac circa nos habeas, luce clarius nouimus. Et quia, Deo fauente, quasi dilectus filius sancto Petro, & nobis, qui per diuinam gratiam vicem eius tenemus, fidelis in omnibus, & obediens esse cupias, humiliter profiteris; tuæ nobilitati dignas valde gratias his nostri apostolatus literis agimus, paternoque amore, vt pote carissimum filium, ad